

Christus ipse, C. Constaret enim materia, quæ fuit in Adam non actu, sed virtute tanquam in primo principio originis. Fuisset in Adam secundum seminalem rationem, N. non enim esset homo genitus virtute seminis ab Adamo originaliter decisi, sed homo factus virtute divina.

Inst. 1. Peccatum Originale est privatio justitiæ originalis, ut decemus infra; atqui iste homo privaretur justitiâ originali ergo. R. N. Min. Quia, licet iste homo non haberet justitiâ originalem, attamen ejus carentia non esset in illo privatio; sed negatio; quia non foret illi magis debita, quam si esset creatus in puris naturalibus.

Inst. 2. Si, durante statu innocentie hoc modo homo formatus fuisset, contraxisset justitiâ originalem, ut patet in Eva: ergo a contrario nunc contraheret peccatum Originale. R. N. Propter rationem datam, quia scilicet non esset ex Adam per seminalem propagationem. Quantum ad Evam habuit justitiâ originalem, non ratione suæ originis, sed ex particulari Dei beneficio.

Inst. 3. Talis homo esset mortalis; atqui mors est poena peccati originalis: ergo. R. D. Min. Mors est poena peccati originalis, atque ratione status, in quo Deus hominem creavit, C. attentis naturæ principis, N. Cum enim homo sit compositus ex contrariis, est naturaliter corruptibilis, & mortalis, nec nisi ex Dei beneficio, & ratione status fuerat creatus immortalis. Unde, cum iste homo non esset in eo statu elevationis, in quo Adam fuit creatus, mors illi non esset poena, sed defectus naturalis.

Petes 2. An talis homo deberet baptizari? R. Affirmative, non ut mundaretur a peccato originali, sed ut consequeretur gratiam sanctificantem, fieret membrum Christi, & haberet jus ad Regnum Cælorum, juxta illud Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei.

Inferes: ergo cassa sunt argumenta Augustini, petita ex necessitate baptismi ad probandum contra Pelagianos peccatum originale, si quidem etiam iis, qui illo carent, conferri debeat. R. N. Illationem. Arguebat enim Aug. & nos post ipsum, supponendo hominem fuisse a Deo creatum in statu elevationis ad ordinem, & finem supernaturalem; in qua hypothesi ex necessitate baptismi bene infertur esse in homine aliquam culpam, qua exciderit a gratia, & statu, in quibus fuerat creatus.

Inst. Forma baptismi, *Baptizo te*, hoc est, ablavo te a peccatis, non verificaretur in isto homine: ergo. R. N. Ant. Formæ enim baptismi sensus est: confero tibi gratiam peccati ablutivam: sicut sensus formæ Sacramenti Pœnitentiæ, *Ablavo te*, in his, qui absolventur a peccatis jam remissis, est: confero tibi gratiam peccatorum remissivam.

## ARTICULUS V.

In quo sita sit essentia Peccati Originalis?

### §. I. Variæ Sententiæ rejiciuntur.

Dico 1. Peccatum Originale non sit ipsa substantia animæ rationalis, ex peccato Adæ corrupta. Est contra Mathiam Illyricum Lutheranum. Prob. 1. Quia alioquin Deus, qui creat animam, esset auctor peccati originalis. 2. Quia in hoc sensu erat error Manichæorum, quod dicerent peccatum esse substantiam. 3. Quia anima rationalis est incorruptibilis. 4. Quia Trid. definit sess. 5. Cap. 5. per Baptismum tolli id totum, quod habet rationem peccati, non tollitur autem substantia animæ per Baptismum. 5. Tandem, quia concipi non potest, quomodo peccatum actuale Adæ potuerit corrumpere substantiam animæ, nondum existentis.

Dico 2. Peccatum Originale non est actuale peccatum Adæ. Est contra Pighium, & Catharinum; qui ex hoc falso principio inferebant esse unum numero peccatum originale in omnibus, non eis intrinsecè inherens, sed extrinsecè tantum eos denominans peccatores. Prob. 1. ex Apost. Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in mundum intravit*; quod non potest verificari de peccato actuale Adami, quod fuit actus immanens. 2. Apost. ibid. comparat peccatum originale, quod ab Adamo contrahimus per generationem, justitiâ, quam accipimus a Christo per regenerationem; atqui non sumus justi justitiâ Christi personali, sed unusquisque est justus justitiâ propria sibi inherente: ergo. 3. Trid. sess. 5. Can. 3. definit, Peccatum originale ab Adamo transfundi in posteros, omnibus inesse, & unicuique proprium; quæ dici non possunt de peccato actuale Adæ: ergo.

Dico 3. Essentia Peccati Originalis non consistit in reatu poenæ. Est contra Roffensem, Alisidorensem, & Durandum. Prob. 1. Quia fuit error Pelagianorum. 2. Per reatum poenæ intelligitur vel obligatio ad poenam, vel condignitas poenæ; atqui utraque supponit culpam; nemo enim obligatur ad

poenam nisi propter culpam, & nemo est dignus poena, nisi quia male fecit; sicut nemo est dignus præmio, nisi qui bene fecit.

Dices Aug. l. 1. de nuptiis c. 25. & 26. & alibi reponit Peccatum Originale in reatu. Similiter S. Thom. hic q. 81. a. 3. ad 2. dicit, *per Baptismum tolli Peccatum Originale secundum reatum*: ergo. R. neque Aug. neque S. Thom. dixisse reatum poenæ, sed simpliciter reatum: reatus autem simpliciter potest accipi tam pro ipsa culpa, quam pro condignitate poenæ. Sic accipitur pro culpa Exod. 32. *Percussit Dominus populum pro reatu vituli*. Ita etiam accipit Trid. sess. 5. Can. 5. & aperte S. Thom. loc. cit. Quod si forte Aug. alicubi acceperit pro reatu poenæ, intelligendus est de reatu poenæ, non formaliter pro obligatione ad poenam, sed fundamentaliter pro culpa, quæ est fundamentum obligationis ad poenam.

Dico 4. Peccatum Originale non consistit in morbida qualitate transfusa ab Adamo in posteros. Est contra Gregorium Ariminensem, Ricardum, Henricum, & quosdam alios antiquos, quorum sententia inolevit. Prob. 1. Quia nulla hujus qualitatis morbida potest assignari causa: non sibilis serpentis, ut quidam fabulati sunt, serpens enim non Adamum, sed Evam affatus est: non fructus vitæ, erat enim ex se bonus: non Deus, alioquin esset auctor peccati. 2. Non apparet, quomodo hæc morbida qualitas transeat a corpore in animam.

Dico 5. Peccatum Originale non consistit in habitu inclinante hominem in bonum commutabile, tanquam in ultimum finem. Est contra quosdam Thomistas, Martinecz, Nunno, Herreta, &c. Prob. 1. Quia S. Thom. aperte contrarium resolvit q. 5. de malo art. 2. o. *In peccato Originali, inquit, non est conversio, sed sola aversio, vel aliquid aversioni respondens, scilicet destructio animæ a justitiâ originali: & ideo Peccatum Originale non debetur poena sensus, sed solum poena damni*. 2. Non potest, ut jam dicebam, assignari causa efficiens hujus habitus. Non Deus, ne illi ut auctori speciali asseratur peccatum. Non peccatum Adæ, tum quia ex uno actu non generatur habitus; tum quia peccatum Adami nunc non existit, ut possit physicè causare & transfundere hunc habitum. Non semen, quia deberet supponi infectum morbida qualitate, quam mox rejecimus: ergo. 3. Eodem modo loquendum est de Peccato Originali, ac de peccato habituali personali; utrumque enim est habituale, cum hac differentia, quod habituale personale sequatur ex peccato actuali persone, originale ex peccato actuali capitis; atqui peccatum habituale personale non consistit in habitu inclinante in bonum commutabile, sed in privatione gratiæ sanctificantis ut voluntaria voluntate propria persone peccantis: ergo Peccatum Originale non consistit in habitu, &c. sed in privatione gratiæ sanctificantis, seu justitiæ originalis, ut voluntaria voluntate capitis, de quo latius infra.

Dices S. Thom. hic q. 82. art. 1. o. docet, Peccatum originale esse habitum: ergo. R. S. Thom. illic non loquitur de Peccato Originali quantum ad suum formale, sed quantum ad suum materiale, quod est concupiscentia, seu inordinatio potentiarum animæ, orta ex privatione justitiæ originalis, in qua art. 3. reponit formale Peccati Originalis, dicens: *Peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis justitiæ*. Insuper, ut sese explicat, non sumit habitum strictè pro qualitate inclinante potentiam ad agendum, ut sunt scientiæ & virtutes, sed latè pro dispositione naturæ ex multis compositæ ad bene vel male essendum, ut sanitas vel ægritudo.

Dico 6. (Hic q. 82. art. 3. o.) Concupiscentia non est formale Peccati Originalis, sed materiale tantum. Est contra sententiam communem Lutheranorum & Calvinistarum. Per concupiscentiam. (Ibid. art. 1. o.) hic non intelligimus aliquam qualitatem superadditam potentis naturalibus, ut patet ex dictis; neque solum appetitum sive rationalem, sive sensitivum, ut eorum actus; neque aliquam aliam potentiam naturalem seorsim; sed inordinationem omnium potentiarum & virum animæ, quatenus destitute justitiâ originali, quæ illas in officio & in subjectione debita rationi continebat, sunt inordinatè dispositæ & proclives in sua objecta absquè freno rationis, consequenter ad quodcumque peccatum; sive carnale, sive spirituale. Est ergo concupiscentia, proit hic sumitur, pronitas, seu proclivitas habitualis potentiarum animæ in sua objecta absquè freno rationis, orta ex subtractione justitiæ originalis; alio nomine dicitur *fomes peccati*.

Prob. 1. pars Conclusionis 1. ex Apost. ad Rom. 8. *Nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo*; atqui in renatis in Christo remanet concupiscentia: ergo.

Respondent Hæretici, sensum Apostoli non esse, quod concupiscentia remanens non sit culpa damnatione digna, sed quod ejus reatum, seu inordinationem & obligationem ad poenam Deus in Baptismo dimiserit. Sed contra, 1. Deus, cujus iudicium secundum veritatem est, Rom. 2. qui odio habet omnes, qui ope-

operantur iniquitatem, & perdit omnes, qui loquuntur mendacium, Ps. 5. cui odio est impius, & impietas ejus. Sap. 14. denique, qui Ezech. 18. declarat æquas esse vias suas, quatenus maneat impietas punit; illa remota, ignoscit; nunquam remittit reatum, seu obligationem poenæ, manente culpa, & condignitate poenæ, est de potentia extraordinaria id possit. 2. Culpa damnatione digna est aliquid damnationis, est enim ejus fundamentum, & radix: ergo, si remaneat in renatis, etiam sublata obligatione ad poenam, remanet in illis aliquid damnationis. 3. Renati per Baptismum fiunt justi, Dei amici, & filii ejus adoptivi; atqui fieri non potest, quod peccator, seu is, qui remanet infectus peccato aeterna damnatione digno, sit justus, Dei amicus, & filius ejus adoptivus: ergo.

Prob. 2. Aug. cujus auctoritate abutuntur hæretici, l. 1. de nuptiis, & concup. c. 23. dicit, quod concupiscentia non sit peccatum in regeneratis; & ibidem explicat, quo sensu appellatur peccatum, his verbis: *Sic autem vocatur peccatum, quia a peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sic vocatur lingua locuto, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus*.

Prob. 3. Concil. Trid. sess. 5. Can. 5. Anathemate ferit, qui asserit, per Baptismum non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet; atqui per Baptismum non tollitur concupiscentia, ut experientia notum est, & declarat ibid. Trid. ergo. Porro, si in renatis concupiscentia non sit formaliter peccatum, neque est in non renatis, cum sit eadem in utrisque.

Prob. 4. Si homo fuisset conditus in statu naturæ puræ, habuisset concupiscentiam, etsi foret non tantam sicuti nunc; appetitus enim sensitivus naturaliter non subjicitur despotice rationi, sed politicè tantum, contra quam ideò potest rebellare, ut antea diximus ex Auctore; quod autem in statu Innocentiæ perfectè subjeceretur rationi, erat ex speciali Dei gratia per donum justitiæ originalis, quæ non fuisset in statu naturæ puræ; atqui concupiscentia in statu naturæ puræ non foret formaliter peccatum, quia peccatum est defectus voluntarius, non proprietates consequens naturam: ergo. Prob. 5. Concupiscentia non est id, quod primum habetur, & concipitur in Peccato Originali, sed quod consequens ad privationem justitiæ originalis, ut dicam modo: ergo non est formale constitutum Peccati Originalis.

Dices 1. Apost. ad Rom. vocat concupiscentiam peccatum: ergo. R. Cum Concilio Trid. sess. 5. Can. 5. Apostolum vocare concupiscentiam peccatum, non quod verè & propriè in renatis sit peccatum; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.

Repones: Si juxta Trid. concupiscentia non sit propriè peccatum in renatis: ergo a contrario sensu, saltem in non renatis est peccatum: sicut, quia dicit Concilium ibidem: *In renatis nihil odit Deus*; bene sequitur a contrario sensu: *ergo in non renatis aliquid odit Deus*. R. N. Sequelam: quin e contra ex ipso Trid. ibidem evincitur, etiam in non renatis concupiscentiam non esse peccatum. Dicit enim, quod in renatis maneat concupiscentia: ergo eadem, quæ erat ante Baptismum: ergo, si post Baptismum non sit peccatum, nec erat ante, cum sit eadem. Ad probationem dico: hanc consequentiam, in renatis nihil odit Deus: ergo in non renatis aliquid odit, valere ratione materiæ; quia in non renatis remanet peccatum: non ratione formæ: unde non valet in simill: *In renatis confirmatis nihil odit Deus: ergo in renatis non confirmatis aliquid odit Deus*.

Replicabis: Licet concupiscentia ante & post Baptismum manens sit eadem entitative, non tamèn est eadem moraliter, quia ante Baptismum est voluntaria, per Baptismum autem desinit esse voluntaria: ergo in non renatis saltem est peccatum. R. N. Consequens enim omne id, quod est voluntarium, est peccatum formaliter, sed sola prevaricatione legis voluntaria est peccatum materialiter. Unde effectus peccati sunt voluntarii, v. gr. morbus ex ebrietate, habitus vitiosi ex iteratis peccatis actualibus sunt voluntarii, & tamèn non sunt formaliter peccata; sic autem concupiscentia est non renatis voluntaria, voluntate scilicet capitis.

Inferes: ergo saltem motus etiam indeliberati concupiscentiæ sunt formaliter peccata actualia in non renatis. Prob. Illatio. Actus indeliberati procedentes ex habitibus vitiosis voluntariis, v. gr. blasphemie in eo, cui habitus blasphemandi est voluntarius, sunt formaliter peccata actualia: ergo similiter, motus concupiscentiæ indeliberati in non renatis. R. N. Illationem. Ad probat. N. Consequ. Disparitas est, quod in blasphemante habitus blasphemandi sit voluntarius voluntate personæ; concupiscentia autem in renatis sit tantum voluntaria voluntate naturæ, seu capitis: ad peccatum verò actuale personale non sufficit voluntarium naturæ; sed requiritur voluntarium personæ, ut definiverunt SS. Pontifices contra Baium Theol. Billuari. Pars Secunda.

Quædam alia argumenta, quæ opponunt hæretici ex Scriptura, & ex Aug. require supra Dissert. 4. art. 2. §. 2. præsertim 1. & 2. objectione: & longe plura apud Bellarm. l. 5. de amissione grat. c. 10. & seq.

Dices 2. Concupiscentia est malum morale, consequenter peccatum; non personale: ergo originale. Prob. Ant. 1. Opponitur legi. 2. Odio habetur a Deo: nihil autem odit Deus nisi peccatum. 3. Non est a Deo omnia autem sunt a Deo præter peccatum: ergo. R. N. Ant. Ad 1. probationem D. Ant. Concupiscentia opponitur legi formaliter, N. Non est enim formalis transgressio legis: Causaliter, C. Quia inclinatur transgressionem legis, sicut v. gr. habitus vitiosus. Ad 2. N. Min. Deus non solum odio habet peccatum, sed etiam inductivum ad illud qua tale. Insuper Deus odit concupiscentiam eo odio, quo odit malos effectus peccati, puta habitus vitiosos, quatenus vult eos sanare, mittere, & destruere; non autem odio, quod transeat, seu redundet in hominem concupiscentem, seu malo habitu affectum, si ei non consentiatur. Ad 3. N. Min. Non enim solum peccatum formaliter sumptum, sed etiam inductivum ad illud qua tale non est a Deo, ut patet in habitu vitioso, aut materiali peccati formaliter sumpto. Insuper potest dici, concupiscentiam esse a Deo punientem per subtractionem auxilii; est enim effectus, & poena Peccati Originalis.

Quod autem concupiscentia sit materiale in Peccato Originali, quæ est secunda pars conclusionis, expressè docet S. Th. hic q. 82. art. 3. o. ubi, cum probavit privationem justitiæ originalis, qua voluntas subdebat Deo, esse formale Peccati Originalis, subdit: *Omnis autem alia inordinatio virtutum animæ se habet in Peccato Originali, sicut quoddam materiale... quæ quidem inordinatio communi nomine potest dici concupiscentia. Et ita generatim Peccatum Originale, materialiter quidem, est concupiscentia, formaliter verò est defectus originalis justitiæ*. Et q. seq. 83. a. 2. ad 4. *Concupiscentia se habet materialiter, & ex consequenti in Peccato Originali*. Id etiam videtur innuere Aug. dñm l. 1. contr. Jul. c. 13. l. 2. c. 10. l. 1. de nuptiis c. 19. & alibi sæpius refert ad Peccatum Originale concupiscentiam ab Adamo in posteros propagatam.

Sed petes, quo sensu S. Thom. dicit concupiscentiam esse materiale in Peccato Originali? R. Probabilius non esse intelligendum de materiali propriè dicto, sicut v. gr. entitas actus est materiale deformitatis in peccato actuali. 1. Quia materiale propriè dictum præsupponitur ad formale; concupiscentia autem non præsupponitur ad privationem justitiæ originalis, in qua reponitur formale Peccati Originalis, sed consequitur ad illam ut ejus effectus; & ideo dicit S. Doctor, quod se habeat ex consequenti in Peccato Originali. 2. Privatio justitiæ originalis, qua anima erat perfectè conjuncta, & subdita Deo, non inheret concupiscentiæ, sicut deformitas peccati actualis inheret entitati actus: ergo. Concupiscentia itaque, seu fomes, dicitur materiale Peccati Originalis impropriè, & latè; quatenus effectus solet comparari ad suam causam, seu effectus secundarius ad primarium, tanquam materiale ad formale. Etenim quod se habet consequenter ad aliquam formam, potest, & solet dici aliquo modo ejus materia. Ita communius Thomistæ, & plures alii contra Salmant. & Gonet.

Si dicas: S. Thom. quest. 3. de malo art. 7. o. dicit, quod Ignorantia, & fomes sint materialia in Peccato Originali, sicut conversio ad bonum commutabile in actuali. Et q. 4. a. 2. ad 11. *Concupiscentia potest considerari secundum quod est in eodem (subjecto); & sic est causa per modum materiæ, quæ est de essentia rei, & præcedit quodam modo per modum materiæ, sicut corpus præcedit animam in ordine causæ materialis. Dicitur enim supra, quod ex carne, ad quam pertinet concupiscentia, inficitur anima, ad quam pertinet carentia justitiæ originalis*: ergo. R. Ad primum: 1. Comparationem non tenere in omnibus, sed in aliquibus tantum; unde in art. 2. cit. q. 4. dicit, quod concupiscentia sit quasi materiale in Peccato Originali. 2. Neque conversio ad bonum commutabile est propriè materiale peccati actualis, sed ipsa entitas actus est propriè materiale. Dicitur autem conversio materiale per respectum ad aversionem ab ultimo fine, quæ est quasi formale, quatenus in actibus humanis species desumitur a fine; unde cit. art. 2. dicit, quod aversio ab incommutabili bono sit quasi formale, conversio autem ad bonum commutabile sit quasi materiale. Ad 2. non dixit S. Doct. quod concupiscentia sit de essentia Peccati Originalis, sed quod materia, scilicet propriè dicta, sit de essentia rei; non autem dixit, quod concupiscentia sit propriè materia Peccati Originalis, sed e contra quod sit tantum per modum materiæ, & quod quodam modo præcedat per modum materiæ; quæ particule, ut patet, sunt diminutivæ, & aperte significant concupiscentiam non esse strictè, & propriè materiam Peccati Originalis quasi partem ejus essentia.



## § II. Vera sententia asseritur.

Prænotandum, justitiam originalem nihil aliud fuisse, quam perfectam rectitudinem totius hominis: unde tria importabat. (Opusc. 2. cap. 186.) Primum, fundamentum, & causa cæterorum, erat subjectio rationis, seu voluntatis ad Deum. Secundum, subjectio virium inferiorum ad rationem. Tertium, subjectio corporis ad animam. Fuit ergo homo sic institutus, ut nisi ratio ejus peccando subduceretur a Deo, neque ejus corpus subduci poterat a nuru animæ, unde erat impassibilis, & immortalis, neque vires sensibiles a rectitudine rationis. Peccare verò poterat, voluntate ejus nondum confirmata in bono per adeptionem ultimi finis. Peccavit ergo Adam, & peccando perdidit sibi, & nobis justitiam originalem quoad omnes suos effectus. Hoc notato,

Dico: Essentia, seu formale constitutum Peccati Originalis consistit in privatione justitiæ originalis quoad primum ejus effectum, ut voluntaria nobis voluntate capitis. (Hic q. 82. a. 3. o. in 2. d. 30. q. 1. a. 3. q. 4. de malo a. 2. Lect. 3. in cap. 5. Rom. & alibi) Est communis Thomistarum cum suo Magistro, & plurimum aliorum. Privatio justitiæ originalis, inquit hic S. Doctor art. 3. cit. per quam voluntas subdebat Deo, est formale in Peccato Originali. Deinde sic concludit corpus articuli: Peccatum Originale materialiter quidem est concupiscentia; formaliter verò est defectus justitiæ originalis. Similia habet locis citatis in margine. Neque dicas, S. Thom. non intelligere de formali constitutivo, sed completivo: nam nullibi S. Doctor meminit alterius formalis constitutivi, & explicat essentiam Peccati Originalis per materiale, & formale: ergo intelligit formale constitutum.

Prob. Conclusio auctoritate. Peccatum Originale vocatur a Scriptura, & Patribus, & a Concil. Arausico. can. 2. & a Trid. Sess. 5. can. 2. mors animæ, & inimicitia Dei: ergo consistit in privatione illius doni, quo spiritualiter vivimus, & sumus amici Dei. Subsumo; atqui hoc donum est gratia sanctificans, quæ est primus effectus justitiæ originalis: ergo in privatione illius sita est essentia Peccati Originalis. Unde S. Anselm. 1. 1. de Conceptu Virg. cap. 26. dicit: Hoc peccatum, quod Originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adæ, justitiæ nuditatem, per quam sumus omnes filii iræ.

Prob. Ratione multiplici. 1. In eo sita est essentia Peccati Originalis, quod tollitur per Baptismum; est enim Baptismus principaliter institutus in remedium Peccati Originalis; atqui per Baptismum tollitur privatio justitiæ originalis quoad primum ejus effectum; confertur enim gratia sanctificans, mentem Deo conjungens, & subjiciens: ergo. Confirmatur: Gratia sanctificans infusio tollit Peccatum Originale: ergo Peccatum Originale consistit in hujus gratiæ privatione. 2. Id est essentiale formale constitutum alicujus rei, quod primum in ea concipitur tanquam radix cæterorum, quæ ad illam rem pertinent; atqui privatio justitiæ originalis quoad primum ejus effectum, scilicet conjunctionem cum Deo, est, quod primum in ea concipitur tanquam radix inordinationis virium inferiorum, & penalitatum corporalium, quæ ad Peccatum Originale pertinent; ergo. Prob. Min. Hoc ipso quo anima peccando privata fuit gratia, & charitate, qua subiciebatur, & jungebatur Deo, quasi sublato regulo, facta est subversio, & rebellio virium inferiorum contra rationem, subsecutus est reatus mortis tam temporalis, quam æternæ, cæterarumque penalitatum, & miseriarum, quas homo lapsus patitur: ergo. 3. Peccatum habituale personale consistit in privatione gratiæ sanctificantis, ut voluntaria voluntate propria personæ: ergo Peccatum Originale consistit in privatione ejusdem gratiæ, ut voluntaria voluntate capitis. Patet Conseq. quia Peccatum Originale, ut jam sæpius dixi, est de genere peccati non actualis, sed habitualis, in hoc solo differens a peccato habituali personali, quod connotet peccatum actuale Adæ ut capitis, ex quo sequitur; peccatum autem habituale personale connotat peccatum actuale personæ peccantis.

## Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Privatio justitiæ originalis est poena Peccati Originalis; atqui poena non constituit culpam, sed supponit ergo. Prob. Maj. 1. Ex S. Thom. qui hic q. 85. art. 5. o. dicit: Subtractio originalis justitiæ habet rationem pœnæ, sicut & subtractio gratiæ. Et q. 5. de malo art. 1. sic illum concludit: Conveniens poena Peccati Originalis est subtractio gratiæ. 2. Non esse justitiam originalem est malum parvulis, & est a Deo: ergo poena alicujus peccati. Omne enim malum, quod est a Deo, cum non possit esse culpa, debet esse poena; & hic est sensus omnium, nos privari justitia originali in poenam Peccati Originalis. R. D. Maj. Privatio justitiæ originalis, physicè sumpta pro subtractione auxilii illam conservantis, est poena Peccati Originalis,

nalis, C. Quia sic est a Deo, qui non est Auctor culpæ: Moraliter sumpta, prout est carentia formæ debite, & ut est voluntaria vi peccati actualis Adami, N. Sic enim est essentialitèr culpa, scilicet habitualis. Paritas est in peccato habituali personali.

Inst. 1. Culpa præcedit poenam; atqui privatio justitiæ originalis moralitèr sumpta non præcedit seipsam physicè sumptam: ergo. R. D. Maj. Culpa præcedit poenam semper prioritate temporis, N. Maj. Prioritate naturæ, C. Maj. Et ad hunc sensum distincta minori, N. Conseq. Prius ergo natura, & modo nostro concipiendi, hæc privatio est nobis voluntaria voluntate capitis, quam Deus illam subtrahat, seu auferat auxilium illius conservativum; non enim Deus deserit nisi sui desertores; nec aufert justitiam originalem, nisi quia volumus in Adamo ea privari.

Inst. 2. Ex S. Thom. qui hic q. 82. art. 2. dicit, quod privatio justitiæ originalis sit causa Peccati Originalis: ergo ipso non est Peccatum Originale. R. S. Thom. non dixisse, quod privatio justitiæ originalis sit causa Peccati Originalis, sed quod sit causa hujus corruptæ dispositionis, quæ dicitur Peccatum Originale, scilicet materialitèr: est autem illius causa tanquam removens prohibens. Sed, etsi loqueretur S. Thom. de Peccato Originali formalitèr, intelligendus foret de causa formali, quæ identificatur cum suo effectu, sicut, v. gr. animal rationale est causa formalis hominis identificata cum ipso.

Obj. 2. Si Peccatum Originale sit essentialitèr privatio justitiæ originalis, quantum ad primum suum effectum scilicet conjunctionem mentis cum Deo per gratiam, sequitur 1. Quod per Baptismum reddatur justitia originalis, quia redditur gratia conjungens mentem Deo. Sequitur 2. Quod peccans post Baptismum iterum contrahat Peccatum Originale; quia peccans post Baptismum privatur gratia conjungente animam cum Deo: Utrumque absurdum: ergo. R. 1. D. Sequelam: sequitur, quod per Baptismum reddatur justitia originalis inaduatè, C. adequatè, N. Justitia enim originalis non solum animam Deo ut ultimo fini conjungebat, sed insuper perfectè subiciebat vires inferiores rationi, & corpus animæ; qui effectus secundarij non redduntur per Baptismum. Ad 2. N. Sequelam. Non enim quævis privatio gratiæ sanctificantis est Peccatum Originale, sed illa solum, quæ fuit voluntaria in capite, & quam per seminalem propagationem contrahimus.

Obj. 3. Juxta S. Th. hic q. 82. a. 1. o. Peccatum Originale est habitus, sicut ægritudo: ergo non consistit in sola privatione justitiæ originalis. R. S. Thom. id dicere de Peccato Originali, non secundum suum formale, sed secundum suum materiale, nimirum concupiscentiam, seu proclivitatem in malum, considerata. Ad 1. enim dicit, quod Peccatum Originale habet privationem originalis justitiæ, & cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ; ex quo inferit, quod non est privatio pura, sed habitus in corruptione consistens. Neque intelligit peccatum Originale etiam materialitèr consideratum esse habitum propriè dictum, sed quidpiam simile habitui, ut explicat q. 4. de malo a. 2. ad 4. his verbis: Concupiscentia habitualis potest dici duplicitèr. Uno modo aliqua dispositio, vel habitus inclinans ad concupiscendum, sicut si in aliquo ex frequenti actuali concupiscentia cansaretur concupiscentia habitus: & sic concupiscentia non dicitur Peccatum Originale. Alio modo potest intelligi habitualis concupiscentia ipsa pronitas, vel habitus ad concupiscendum, quæ est ex hoc, quod vis concupiscibilis non perfectè subditur rationi, sublato freno originalis justitiæ; & hoc modo Peccatum Originale materialitèr loquendo est habitualis concupiscentia.

Inst. 1. In Peccato Originali non solum est aversio a Deo, sed etiam conversio ad bonum commutabile: ergo non est mera privatio, sed vel habitus, vel aliquid simile positivum. Prob. Ant. 1. Quia parvulus existens in Peccato Originali habet aliquid finem ultimum; non Deum, ergo creaturam. 2. Quia non datur aversio, seu recessus a termino a quo sine conversione, seu accessu ad terminum ad quem: ergo. R. D. Ant. In Peccato Originali, adequatè sumpto tam pro materiali, quam pro formali, est aversio, & conversio, Transeat Ant. Quia concupiscentia in parvulo potest dici habitualis conversio ad bonum commutabile: in Peccato Originali, inaduatè sumpto pro formali, est conversio, N. Ant. Sic enim est mera privatio justitiæ originalis quoad primum ejus effectum. Vel subdistinguo: Est conversio positiva, & propriè dicta, N. privativa, & improprie dicta, C. Idque duplici sensu improprio. 1. Denominatèr extrinsecè ex peccato actuali Adami, in quo verè fuit conversio ad bonum commutabile tanquam ad ultimum finem. 2. Virtualitèr, & interpretatèr, quatenus aversio ab ultimo fine, quæ est in Peccato Originali, præbet fundamentum interpretandi voluntatem pueri esse magis conversam, & affectam ad creaturam, quam ad Deum. Ad probationes Antecedentis, in quantum sunt contrariæ præcedenti solutioni, R. Ad 1. parvulum existentem in Peccato Originali habere finem ultimum physicum scilicet Deum,

## DIGRESSIO HISTORICA.

## De Præ-Adamitis.

Utrum Adam primus omnium hominum fuerit; an verò fuerint Præ-Adamitæ?

sicut omnes creaturæ irrationalis; non autem habere aliquem finem ultimum moralem, quia hujus non est capax. Ad 2. probationem: Vera est de aversione, seu recessu positivo a termino a quo, non de aversione, seu recessu privativo, sumpto pro non conversione & non accessu, qualis est privatio justitiæ originalis in infante.

Inst. 2. In peccato Adæ fuit positiva, & propriè dicta conversio ad bonum commutabile ex dictis; atqui Peccatum Originale est ejusdem rationis cum peccato Adæ: ergo. R. D. Min. Peccatum Originale est ejusdem rationis cum peccato habituali Adæ, C. Cum peccato actuali Adæ, N. Peccatum enim Originale, quod est unicuique proprium & intrinsecum, est de genere peccati habitualis, ut jam dixi, & sic non debet comparari peccato actuali Adæ, sed habituali.

Inst. 3. & subsumo; atqui peccatum actuale Adæ fuit ejusdem speciei cum peccato ejus habituali: ergo. R. D. Subsumptum: fuit ejusdem speciei in esse morali, C. in esse physico, N. Actuale enim fuit commissio & actus positivus, habituale fuit privatio gratiæ; sicut peccatum commissionis & omissionis, licet plusquam genere differant in esse physico, possunt tamen esse ejusdem rationis in esse moris, ut antea diximus.

Obj. 4. Si Deus non contulisset Adamo, ut capiti morali naturæ, gratiam transfundendam posteris, & peccasset, posterius contraheret Peccatum Originale, & non privationem gratiæ: ergo. R. D. Ant. Posterius contraheret in hac hypothesi Peccatum Originale ejusdem rationis, ac nostrum, N. Diversæ rationis, C. Tunc enim foret denominatio extrinsecè a peccato actuali Adami.

Inst. Si Deus per meram condonationem extrinsecam absque infusione gratiæ remitteret Peccatum Originale, maneret privatio gratiæ, & non maneret Peccatum Originale: ergo. R. 1. N. Suppositum Ant. Juxta enim probabilem sententiam, de qua in Tract. de Gratia, vel Justificatione, hæc condonatio merè extrinsecè peccati absque infusione gratiæ non est possibilis. 2. Dato hoc supposito, D. Ant. Maneret privatio gratiæ ut debite, N. Privatio gratiæ ut indebite, C. Condonando enim extrinsecè peccatum efficeret, quod non esset amplius debita gratia, seu justitia; aliter quippe non potest concipi ista condonatio extrinsecè. Nos autem reponimus Peccatum Originale in privatione gratiæ, seu justitiæ debite; & sic in hac hypothesi non tollitur peccatum remanente privatione justitiæ debite.

## Consecraria.

EX dictis colliges 1. (Hic q. 82. art. 4. o.) Peccatum Originale quoad suum formale esse æqualiter in omnibus; quia sic sumptum importat privationem justitiæ originalis, & respectum ad peccatum Adæ, a quo originatur: ista autem privatio est æqualis in omnibus, cum omnes sint totalitèr privati justitia originali. Similitèr iste respectus est æqualis in omnibus, quia omnes sunt æqualitèr filii Adæ. Quantum ad suum materiale, (Ibid. ad 1.) Peccatum Originale non est æqualitèr in omnibus: soluto enim vinculo originalis justitiæ, sub quo quodam ordine omnes vires animæ continebantur, unaquæque vis naturæ tendit in suum proprium motum, & tanto vehementius, quanto fuerit fortior. Contingit autem, vires aliquas esse fortiores in uno, quam in alio, propter diversas corporis complexiones. Quod ergo unus homo sit priorior ad concupiscendum, quam alter, non est ratione Peccati Originalis formalitèr sumpti, cum in omnibus æqualitèr solvatur vinculum originalis justitiæ, & æqualitèr in omnibus partes inferiores animæ sibi relinquuntur: sed accidit hoc ex diversa dispositione potentiarum; sicut, solutio æqualitèr freno, quo multi equi detinebantur, unus alio fortius suum sessorem agit, propter majorem ferocitatem naturalem in uno, quam in alio.

Colliges 2. (Ib. q. 85. art. 1. & 2. o.) Peccatum Originale prius esse in essentia animæ, quam in ejus potentis, 1. Quia inter partes hominis, quæ sunt capaces peccati, prius anima attingitur per generationem, quam ejus potentia; foetus enim prius concipitur habere animam, quam potentias: Peccatum Originale autem traducitur per generationem. 2. Quia anima est subjectum immediatum gratiæ sanctificantis: ergo & ejus privationis, quæ privatio est Peccatum Originale. Sed, sicut gratia sanctificans, seu habitualis secundum essentiam residet in anima, in potentis autem ejus residet secundum suas proprietates ab ea dimanantes, ita paritèr culpa originalis, quæ secundum essentiam est in anima, ratione proprietatum suarum, seu effectuum ex illis secutorum, reperitur in potentis animæ.

Isaac Peyrierus, de grege Protestantium, ann. 1653. opus edit, in quo probare contendit Adamum non fuisse primum omnium hominum, sed ante ipsum fuisse alios homines, quos ideo vocat Præ-Adamitas. In ejus Systematis constructionem dicit, Deum sexta die creationis mundi creasse hominem mascululum & foeminam, ut refertur cap. 1. Gen. non Adamum & Evam, sed masculos, & foeminas in omnibus terræ partibus, sicut creavit ubique terrarum arbores & plantas, & hoc fecisse capita & parentes Gentilium: dii autem postea creasse Adamum & Evam, ut narratur cap. 2. Gen. ut essent capita, & parentes sui populi Israëliti: sicque hanc creationem hominis narratam cap. 2. aliam esse a creatione hominis narratam cap. 1. & ipsa posterioriorem. Hunc tamen errorem cum hæresi postea abjuravit Peyrierus coram Alexandro VII. ann. 1567. Quibus autem fundamentis fabulam hanc struxerit, patebit ex solut. Obj.

Dico: Fabulosum est Præ-Adamitarum systema, verbo Dei contrarium, & nullo probabilis fundamento nixum. Prob. 1. Ex cap. 1. Genes. Ubi Moyses mundi initia describit, & primi hominis creationem: Et creavit, inquit, Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, mascululum & foeminam creavit eos: benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris & volatilibus Cæli & universis animantibus, quæ moventur super terram. Quibus verbis constat, ibi referri creationem primi hominis, antè quem nulli alii fuisse; atqui sermonem illic esse de Adamo constat ex capitibus seq. in quibus Moyses, quod pressius dixerat 1. capite, explicatèr resumit, & præsertim c. 5. ubi verba 1. capitis repetens illa de Adamo intelligenda significat: Hic est, inquit, liber generationis Adam. In die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum, mascululum & foeminam creavit eos, & benedixit illis: & vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt. 2. Cap. 2. v. 5. dicitur: Et homo non erat, qui operaretur terram; atqui id falsum foret, si Præ-Adamitæ fuissent creati 1. capite. ergo. 3. Die septimo Deus requievit ab universo opere, quod paravit: ergo post diem 7. non creavit Adam. 4. Apost. 1. Cor. 15. dicit: Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem... Primus homo de terra terrenus: Secundus homo de celo caelestis. Et Sap. 10. Hæc illum, qui primus formatus est a Deo, Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiit & eduxit illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continentis omnia; quod non potest intelligi nisi de Adamo. Et disertè Aug. Tract. 9. in Joann. In ipso exordio Adam & Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Judæorum; et quidquid figurabatur in Adam de Christo, ad omnes utique gentes pertinebat, quibus salus erat in Christo. 5. Peccatum Originale ab uno Adamo in omnes homines derivatum est, ex Apost. Rom. 5. & 1. Cor. 15.; atqui, si Judæorum tantum caput, & primus parens consensus sit Adam, non vero primus absolutè omnium hominum, omnes & singuli homines cæterarum nationum peccatum originis non contraxissent, nec contraherent: ergo.

Respondet adversarius, peccatum Adami omnibus hominibus imputari, non propter communionem cum ipso physicam, seu naturalem, sed mysticam, qua fides Abrahami imputata fuit omnibus fidelibus, Christi mors & justitia universis hominibus. Sed contra 1. Sicut homines non nascuntur fideles propter illam societatem mysticam cum Abrahamo, nec justitiam propter communionem mysticam cum Christo, & justitiæ ejus imputatione; ita etiam non nascuntur peccatores propter solam Adamitici peccati imputationem, & communionem illam mysticam cum ipso, cum tamen juxta Scripturam simus natura filii iræ: ergo non sufficit illa communitio mystica hominum cum Adamo 2. A fide alienum est, quod sola imputatione justitiæ Christi simus justus, & non justitia inherente; & sola Adamitici peccati imputatione simus peccator, non verò peccato, quod fuit unicuique nascendo proprium, etsi aliena voluntate commissum. 3. Fides Abrahami imputatur hoc sensu tantum, quod dederit nobis exemplum fidei. Id autem dicere de Adamo peccante, est hæresis Pelagianorum. Christi verò communio mystica, qua justitia nobis imputatur, est communio capitis & membrorum, mediatoris & reorum, qualis esse non potest in Adamo, si primus omnium parens non sit. 4. Ista communitio mystica fuisset dumtaxat cum Post-Adamitis, non cum Præ-Adamitis, & sic Præ-Adamitæ fuissent immunes a peccato & immortalis: adeoque Christus non esset Redemptor omnium, nec mors per peccatum in omnes homines pertransisset. Quod est contra Apostolum.



Solvuntur objectiones.

**O**bjicit. 1. Auctor Præ-Adamitice fabulæ locum illum Apost. Rom. 5. *Usque ad legem peccatum erat in mundo: Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ;* atqui nomine legis, in hoc textu, intelligenda venit lex Adam data, cujus transgressio fuit peccatum Adæ: ergo peccatum erat in mundo usque ad legem Adamiticam: ergo & ante legem Adamiticam: ergo & homines erant, qui ante Adamum peccaverunt, quamvis peccatum ipsis imputatum non fuerit, cum lex non esset. Prob. Min. Peccatum, quod erat in mundo usque ad legem, de qua loquitur Apost. non imputabatur; atqui peccatum, quod erat in mundo ab Adam usque ad legem Mosaicam, fuit imputatum, ut patet in ipso Adamo, in Caino, in Lamecho, in Onam, in Diluvio, in subversione Sodomæ, &c. ergo Apost. intelligit legem Adamo datam. R. N. Min. Certò enim constat, per legem ab Apost. verè intelligi legem Mosaicam, juxta modum loquendi Scripturæ, quo lex absolutè nominatur ea, quæ Judæis per Moysen data est. Ut Matth. 5. *Nolite putare, quoniam veni solvere legem.* cap. 22. *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Luc. 16. *Lex & prophetæ usque ad Joannem.* Joann. 1. *Lex per Moysen data est.* Ad Rom. 7. *Non cognovit peccatum nisi per legem.* c. 10. *Finis legis Christus:* & alibi pluriè. Ad probationem in contrarium, D. Min. 1. Peccatum, quod erat in mundo ab Adam usque ad legem Mosaicam, fuit imputatum ad reatum culpæ, & pœnæ coram Deo, C. fuit imputatum ad transgressionem, & prævaricationem, N. Peccatum enim & prævaricatio non sunt idem apud Apost. prævaricatio namque vocatur, cum quis sciens peccat contra legem, quod maxime contingit, quando adversus legem verbo scriptorè discretè positam peccatur: unde Apostolus cap. 4. præced. *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Antè autem legem scriptam homines ut plurimum ex certa scientia non peccabant: Lex enim naturæ obscurata erat, etsi non extincta, adè ut ad lumen illius vix attendere. Undè gentes, quæ hanc solam legem habebant, dicuntur ab Apost. Rom. 2. sine lege peccare, sine lege esse, & sine lege puniri. Cum addit Apostolus: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ,* id est, in eos, qui voluntate propria non peccaverunt, ut Adam peccaverat, scilicet in infantes nondum ratione utentes; aut qui non peccaverunt ut Adam contra aliquam legem verbo, vel scripto sibi a Deo positam. Ità Estius.

2. D. eandem Min. Peccatum fuit imputatum ad transgressionem legis naturalis, C. ad transgressionem legis positivæ, N. Cum tunc, inquit ipse Apost. non esset talis lex. Vel 3. D. Peccatum fuit imputatum, hoc est, habitum fuit peccatum coram Deo, C. Hoc est, fuit reputatum, & cognitum peccatum apud homines, saltem plerumque, N. Per legem enim, inquit idem Apost. Rom. 3. *cognitio peccati.* Et cap. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem: Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret. Non concupiscis.* Vel 4. tandem, D. Peccatum fuit imputatum ad pœnas generales, & Deo arbitrarías, C. Ad pœnas pro singulis determinatas, qualiter lex determinavit, N. Hæc sunt varîe interpretationes, quas legitime patitur textus Apost. & quæ fermè in idem coincidunt.

Objicit 2. idem Auctor plura ex cap. 4. Genes. 1. Ibi dicitur Cain Agricola, qui autem dicit Agricola, multas supponit artes & multos artifices, qui defuissent, si alii ante Adam non fuissent: ergo. R. Cainum ope fratrum, qui jam tunc multi erant, coluisse terram, non is omnibus instrumenti & omni apparatu, quo nunc eam colunt nostri Agricolæ, sed crescente paulatim familia & industria profecit.

Inst. 1. Ibidem Deus dicit Caino: *Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Id est rapieris ad iudices, qui pœnas sceleris a te repositus; in foribus enim, id est, in portis, Scriptura teste, solebant Orientales exercere judicia; id autem supponit fuisse homines in mundo alios ab Adam & ejus filiis: ergo. R. Hæc verba, *statim*

*in foribus peccatum aderit,* significare, quòd pœna peccati aderit quasi canis, & Cerberus præ foribus animi instar vindicis culpæ. Ità significat juxta Interpretes vox hebræa *Robets:* hic autem canis est ira Dei imminens, omnesque pœnæ presentis & futuræ vitæ, sed præsertim vermis conscientie.

Inst. 2. Ibidem Cain dicit: *Omnia, qui invenerit me, occidet me... & posuit Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnia, qui invenerint eum;* atqui frustra timuisset Cain, frustra Deus illi posuisset signum, ne occideretur a quocquam, nisi supponantur homines incolæ regionum, ad quas Cain confugisset: ergo. R. Cainum timuisse occidi a fratribus suis & eorum filiis, qui habitabant plagam Orientalem Eden: *Potuit enim,* inquit Ambros. 1. 2. Cain & Abel. cap. 9. *& Parentes Parricidas timere, qui docuerat Parricidium committi posse.* Ad ejus & tam præcedentium, quam subsequendum faciliorem intelligentiam observandum est ex cap. 9. Genes. Seth natum fuisse anno Mundi & Adæ 130. & ex 4. natum & positum fuisse Seth. pro Abele occiso a Caino. Undè colligitur, Abem fuisse anno mundi 130. aut saltem paulò antè. At omnino verisimile est, anno mundi 130. genus humanum fuisse propagatum ad plura centena hominum millia, cum intrâ 215. annos Captivitas Ægyptiacæ propagati fuerint filii Israël usque ad sexcenta millia virorum militie idoneorum. Hoc posito, facile expeditur difficultates, quas objicit Peyrierus ex illo cap. 6. Genes.

Inst. 3. Dicitur ibidem: *Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit & peperit Henoch;* atqui illa uxor non erat ex familia Adæ, cui nondum nata erat filia; ergo ex alia stirpe, quæ narratur 1. capite Genes. R. N. Min. Quamvis enim Scriptura non commemoret aliquam filiam esse natam Adæ, non sequitur nullam fuisse; non enim omnes filios & filias Adæ recenset. Sororem itaque suam duxit Cain, quod ipsi licuit in illo genere humani exordio, quoniam aliter propagari non poterat, ut dicit Aug. 1. 15. de civit. cap. 16.

Inst. 4. Dicitur ibidem, quòd Cain edificavit Civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Henoch; atqui ex sola Patris familia non potuit habere sufficientes artifices ad constructionem civitatis, neque sufficientes Cives ad ejus habitationem: ergo idem quod prius. R. N. Min. Non enim certum est, Henoch fuisse primogenitum Caini; & quamvis ita esset, non statim ab ejus nativitate civitatem construxit; sed diù postea, ut scribit Aug. libr. cit. cap. 8. *Non idèd,* inquit, *putandum est, tunc a Patre conditæ Civitatis nomen ejus impositum, quando natus est... sed cum illius hominis familia tanta numerositate creveret, ut haberet jam populi quantitatem.* Nec obstat, quòd Moyses paucissimos homines usque ad illius civitatis constructionem, imò usque ad Diluvium commemorat; id enim sui instituti non erat, qui solum per certas generationes ab Adamo ad Abrahamum, & ab isto ad populum Dei, ejusque Regem Christum historiam deducebat.

Inst. 5. Ex Josepho, qui narrat Cainum profugum ad Orientalem plagam Eden rapinas exercuisse, *acclis indequaque latrociniorum & nequitiæ sociis;* atqui id debet intelligi de aliis hominibus, quam de suis nepotibus: ad quod enim in proprios nepotes rapinas exercuisset, cum in tanto rerum vacuo, si sic supponatur, domini sui fines, quòd voluisset, poterit extendere? ergo. R. Dato vera esse, quæ narrat Joseph, N. Min. Et dico, Cainum socios suorum latrociniorum ex sua familia aggregasse, & ea in filios Seth exercuisse: qui enim fratrem occiderat, nepotes potuit persequi, & eorum bona diripere. Id facile intelliges, si observes ex Aug. Cainum fuisse constitutum caput civitatis terrenæ, & Seth caput civitatis Dei, quorum idèd filii vocabantur filii Dei, & inde inter has duas familias, ob morum diversitatem, perpetuum fuisse dissensionem.

Obj. 3. Monumenta historice Chaldæorum, Ægyptiorum, & Sinensium, qui plura annorum millia originis suæ supra Adamum numerant. R. Hæc historia secularis monumenta ex aliis etiam historiae secularis fidelioribus, & sincerioribus testimoniis falsitatis revinci, sed maxime ex Scriptura Sacra, adversus quam nulla humana testimonia prevalere possunt. Hac de re legendus est Aug. libr. 12. de Civit. cap. 10.

*inst. 1. Ibidem Deus dicit Caino: Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Id est rapieris ad iudices, qui pœnas sceleris a te repositus; in foribus enim, id est, in portis, Scriptura teste, solebant Orientales exercere judicia; id autem supponit fuisse homines in mundo alios ab Adam & ejus filiis: ergo. R. Hæc verba, *statim*

DISSERTATIO VII. DE EFFECTIBUS PECCATI.

D. Thom. QQ. 85. 86. & 87.

**E**Gimus hinc usque cum Auctore de causis peccati; nunc agendum de ejus effectibus, qui sunt corruptio boni naturalis, macula animæ, & reatus pœnæ. (Q. 85. in proem.)

ARTICULUS I.

Utrum bonum animæ minuatur, aut etiam tollatur per peccatum?

**N**Ota 1. (Ibid. art. 1. o.) Bonum naturæ posse dici tripliciter: 1. Ipsa principia, ex quibus natura ipsa constituitur & proprietates ex eis resultantes, sicut potentia animæ, & alia hujusmodi. 2. Inclinatio ad bonum honestum, quam habet homo ex hoc quòd sit naturæ rationalis: unaqueque enim natura ex se inclinatur ad bonum sibi conveniens; bonum autem conveniens naturæ rationali est bonum rationis, quòd est bonum honestum, & virtutis. 3. Bonum justitiæ originalis, collatum a Deo toti naturæ humane in primo homine; quòd, licet esset entitative supernaturalis, dicitur tamen bonum naturæ, partim quia perficiebat naturam, partim quia erat collatum toti naturæ, & ad omnes homines cum natura debebat transfundi, si Adam non peccasset. Potest etiam intelligi per bonum naturæ sanitas, & bona constitutio corporis.

Nota 2. (Ibid. art. 2. o.) Potentiam posse diminui dupliciter. 1. Intrinsecè, & ex parte subjecti, ut si auferatur aliquid ejus entitatis, aut intensiois, sicut habitus dicitur mutari, quando remittitur. 2. Extrinsecè, & ex parte termini, quando supervenientibus obstaculis impeditur a consecutione sui termini.

Dico 1. (Ibid. art. 1. o.) Bonum naturæ primi generis non tollitur, nec minuitur entitative per peccatum; quia per peccatum nihil auferitur a substantia animæ, aut ab ejus potentia, quæ sunt incorruptibiles, & immutabiles secundum se. Unde juxta commune axioma, ex S. Dionysio, *Naturalia in Dam-nibus manserunt integra.* Bonum tertii generis est totaliter ablatum per peccatum originale, ut constat ex Dissertat. præced.

Dico 2. Bonum (Ibid.) naturæ secundi generis, id est, inclinatio ad bonum honestum, minuitur per peccatum, non intrinsecè, & ex parte subjecti, seu radicis; quia ut dictum est, per peccatum anima, aut ejus potentia nihil entitatis perditur; sed ex parte termini, quia peccatum actuè inducit dispositionem prava ad similem actum, & per peccatum originale homo avertitur ab ultimo fine; utroque enim modo minuitur inclinatio ad bonum honestum; priori quidem, quia ista prava inclinatio ad bonum inhonestum est obstaculum, quo homo impeditur, ne facile feratur ad bonum honestum contrarium: posteriori modo, quia finis in operabilibus se habet, ut prima principia in speculabilibus. Sicut ergo, qui caret assensu principii, parum idoneus est ad deducendas conclusiones; sic, qui est avertus ab ultimo fine, non est expeditus ad agendum bene moraliter. Id magis patebit ex sequenti conclusione. (Ibid. art. 2. o.) Non tamè totaliter tollitur per peccatum ista inclinatio ad bonum honestum, quia radicitur in rationalitate: per peccatum autem non potest totaliter tolli ab homine, quòd sit rationalis, alias jam non esset capax peccati.

Si dicas, quòd istud bonum sit finitum; bonum autem finitum totaliter potest consumi, facta continua diminutione, sic fit per peccatum frequenter iteratum: ergo. R. Minorem esse veram dumtaxat, (Ibid. ad 1.) quando diminutio fit ex parte subjecti, seu per subtractionem, non verò quando fit ex parte termini per appositionem impedimenti, ut fit hic, sicut dictum est. Utrum verò homo minores vires ad bonum, & majores ad malum habeat in hoc statu naturæ lapsæ, quam habuisset in statu naturæ puræ; dicemus diù de gratia.

Dico 3. (Ibid. art. 3. o.) Ex Venerabili Beda convenienter assignantur quatuor vulnera naturæ ex Peccato Originali sequentia, scilicet ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in irascibili, & concupiscentia in concupiscibili. Prob. (Ibid.) Tot convenienter assignantur vulnera naturæ, quot sunt potentie per Originale Peccatum destitute: ea inter se colligantur atque subordinatione, qua inferiores subiciebantur supe-

riori, & superior Deo, ex quo erant connaturaliter ordinata ad virtutem; atqui sunt quatuor potentie sic per Peccatum Originale destitute ea subordinatione, atque eo ordine: ergo. Prob. Maj. Sicut in corporalibus vulnus dicitur separatio partium unitarum, sic in spiritualibus vulnus est separatio potentiarum ad invicem unitarum, & subordinatarum in ordine ad virtutem. Prob. Min. Sunt quatuor potentie, quæ possunt esse subjectum virtutis, scilicet ratio, voluntas, irascibilis, & concupiscibilis, ut ex superioribus liquet: ergo.

Itaque (Ibid.) in quantum ratio sic destituitur suo ordine ad verum, ut prona sit ad assentiendum falso, & difficili ad assentiendum vero, priveritque scientia rerum necessarium, est vulnus ignorantie. In quantum voluntas sic destituitur suo ordine ad bonum, ut sit proclivis ad malum, & difficilis ad bonum eligendum, est vulnus malitiæ. In quantum appetitus irascibilis sic destituitur suo ordine ad arduum, ut sit debilis ad tolleranda adversa, est vulnus infirmitatis. Tandem, in quantum appetitus concupiscibilis destituitur suo ordine ad bonum sensibile, ut sit pronus ad illud concupiscendum contra ordinem rationis, est vulnus concupiscentiæ, sub quo continetur concupiscentia oculorum, & concupiscentia carnis. Hæc autem vulnera toti naturæ per Peccatum Originale inflicta, quotidie invadunt ex peccatis actualibus, in quantum per peccata actualia ratio hebetatur, voluntas induratur ad bonum, major difficultas accrescit ad bona agenda, & mala sustinenda, & concupiscentia magis exardescit. (Ibid.)

Potes, Utrum concupiscentia, seu rebellio appetitus sensitivi, tam irascibilis, quam concupiscibilis, fuisset in statu naturæ puræ? Respondetur communiter affirmative. Quia, cum cuilibet potentie connaturalis sit sua inclinatio in objectum proprium, sicut voluntas, quæ est appetitus rationalis, habet inclinationem in bonum rationis, seu honestum, sic irascibilis habet inclinationem in bonum sensibile arduum, & concupiscibilis in bonum sensibile delectabile secundum sensum; & cum aliunde bonum sensibile arduum, & bonum delectabile secundum sensum, non raro sint difformia recta rationi, non raro etiam contingeret in statu naturæ puræ, quòd homo ex parte tam irascibilis, quam concupiscibilis pateretur motus inordinatos adversus rationem & inclinationes ad actus peccaminosos. Unde S. Thom. in 2. ad 31. q. 1. art. 2. ad tertium dicit: *Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione suæ naturæ relinqueret, ut scilicet mortalis & passibilis esset, & pugnam concupiscentiæ ad rationem sententis in quo nihil humane naturæ derogaretur.*

Contentionis, cui post Estium non aridet sententia communis, opponit quedam testimonia S. Thom. quibus S. Doctor dicit, quòd concupiscere contra rationem sit contra naturam hominis. Sed Thomistæ communiter hoc S. Thom. dictum intelligunt de natura hominis, prout est instituta a Deo in creatione primi hominis; non de natura, prout potuit a Deo creari scilicet cum is præcisè, quæ sunt ei naturaliter debita. Potest etiam intelligi, quòd sit contra naturam hominis, ut humana, seu rationalis est, & non ut animalis; neque obstat, quòd reponeat Contentions, rationem ut superiorem sibi vindicare principatum, & inferiorem ei naturaliter subjecti; id enim verum est juxta S. Thom. 1. p. q. 81. art. 3. & 1. 2. q. 17. art. 7. o. *Non de principatu despotico, qui est Domini ad servum, sed de principatu politico, aut regali, qui est ad liberos, qui non totaliter subduntur imperio.* Unde concupiscibilis, & irascibilis possunt in statu naturæ resistere imperio rationis. De his latius alibi.

Dico 4. (Ibid. art. 5. o.) Mors, morbi, ceterique defectus corporales, & miserie hujus vitæ sunt effectus Peccati Originalis, non directè, & per se; sed indirectè, & per accidens tantquam removens prohibens; in quantum scilicet per peccatum primi parentis sublata est justitia originalis, per quam non solum potentie inferiores animæ continebantur sub ratione absolute omni deordinatione, sed etiam totum corpus continebatur sub anima absque omni defectu; & idèd subtracta hac originali justitia per peccatum primi parentis, sicut vulnerata est natura humana quantum ad animam per deordinationem potentiarum, ut dictum est, ita etiam est effecta corruptibilis per de-